c recentiores tribuunt. Mirificè enim hanc in ſanandis impetiginibus, alijsq; ſcabiei generibus cõmendant. Item in uulneribus glutinandis, ac fiſtulis curandis, compeſcendoq; ſanguine, eius eſſe uſum tradunt, ut hinc etiam liqueat hanc ipſam à Lolio non eſſe diuerſam.

EX SYMEONE SETHI.

Vim æqualem Iridi obtinet.

DE ASCLEPIADE▸ CAP▸ XLV▸

NOMINA.

Aſclepias unde dicta.

ΑΣΚΛΗΠΙΑΣ Græcis, Aſclepias Latinis, herbarijs Hirundinaria, Officinis Vincetoxicum, Germanis Schwalbenwurtz appellatur. Aſclepias autem ab Aeſculapio antiquo medicinę autore nominata eſt. *Hirundinaria.* Hirundinaria uerò à ſiliquis quas producit, quę dehiſcẽtes plumoſum ſemen oſtendunt, atqueadeò hirundinis effigiem referũt. *Vincetoxicum.* Vincetoxicũ, uel rectius ὑπνοτοξικὸν hauddubiè dicta eſt, quod illi inſignis aduerſus uenena uis ſit, ut paulò pòſt fuſius docebimus.

FORMA.

Ramulos profert longos, in quibus folia longa Hederæ ſimilia. Radices numeroſas, tenues, odoratas. Flores grauiter olentes. Semẽ Securidacę ſeu Hedyſari. Ex qua deliniatione nemini non perſpicuũ fit Vincetoxicũ appellatã herbã, eſſe Aſclepiada. Fruticoſa ſiquidẽ herba eſt, caulem obtinens rotundũ, leuem, tenuem, ac ferè iunceũ, ramulis longis, folio hederaceo, ſed oblongiori, in uiridi nigricante, florib. exiguis, candidis, aut uerius in albo palleſcentibus, grauiter odoratis, ex quibus ſili quæ oblongæ fiunt, quæ dehiſcentes ſemen plumoſum Securidacæ ſimile, hoc eſt,
D rufum & latum oſtendunt, radicibus multis, exiguis, tenuibus, & odoratis, adeò ut nulla ſit prorſus nota quæ illi non reſpondeat aptiſſimè. His accedunt locus natalis & facultates, quæ ſingula cum Aſclepiade illi communia ſunt, quemadmodũ ex ijs quæ ſtatim ſubijciemus manifeſtiſsimum fiet.

LOCVS.

Prouenit in montibus aſperis, altis ac arenoſis. Copioſiſsimè autem naſcitur in monte haud procul à Tubinga ſito, in quo olim arx poſita fuiſſe fertur.

TEMPVS.

Auguſto menſe floribus abundat, ac ſubinde ſemina in folliculis oblongis, formam hirundinis cum dehiſcunt referentibus, profert.

TEMPERAMENTVM.

Aſclepias, Paulo teſte, calida, ſicca, & tenuis ſubſtantiæ eſt. Quo ſanè temperamento Hirundinaria etiam prædita exiſtit: amara ſiquidẽ & parum glutinoſa eius eſt radix, folia uero aliquam præ ſe ferunt adſtrictionem: ut iterum euidenter appareat, Hirundinariam eſſe Aſclepiada.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Radices cum uino potæ, torminibus, & uenenatorũ morſibus ſubueniunt. Folia uero illita maleficis in mammis & utero uitijs opitulantur.

EX PAVLO.

Torminibus in uino pota competit. Illita uero uenenatorum morſibus, & malignis mammarum & uteri uitijs ſuccurrit.

EX PLINIO.

Radices torminibus medentur, & contra ſerpentium ictus non ſolum pota, ſed etiam illita proſunt.

APPENDIX.

Recentiores radice eius magna efficacia ad menſiũ prouocationẽ utuntur, & ad rabidi